cimus) cura erat Uxorem Nicolai Lucei, solet illa meae domus fidelis custos esse
vir ipse exilio beatior est. At opinor cum mansione ipse relicta apud parentes filia,
uxor hic ex eo nata cum coniuge ipsorum Parentum hortatu et sumptu Lutetiam
profectus est. Quum haec scribo a meridie varijs distractus rebus, affert ad me
tuas 27. Aprilis exaratas, meus Socer Colonia modo reversus, nihil vidi factu
duque opportunius quam quod Carolum hanc dieculam dare mihi vix tandem per-
puli, is constituerat hodie prima luce proficisci. De hoc quod stipularis quietus
esto. Quis sit Vesaliensis Ecclesiae status, noster narrabit. Religio nisi
Lutherana (ut vocant) nulla in his regionibus speranda est, hanc ipsam etiam
obtinuerimus. Omnia sunt papisticis confusionibus deformata nobis. Ibi hoc
Interesse. bonum est quod nemo nos urget, nemo nos agit impijs cultibus superesse. Privata li-
bertas religionis conceditur, sed publicorum congressuum ordo veterum superstitionum
concursu turbatur. Itaque conscientiae nostrae serenitatem cum Deo tueri hic possu-
mus. De facie alicuius spectandae Ecclesiae non possumus gloriari. Magistratus non
tam adversus quam timidus. Cives securi magis quam improbi. Caelum, focus, hortus
penus, pecus, piscis omnia prae istis percommoda. Si quos nobis Deus iungeret
viros graves, et cum eruditione etiam pios, non ita se male nobis habent princi-
pia quin reparari haec area possit. Si te nanciscendi spes esset aliquando, mirum
quam nobis animus confirmaretur. Scio religionis puritatem te omnibus com-
moditatibus antevertere, hanc si neque publice neque privatim sine omni labe
tueri possumus, maxime miserabiles exules sumus. Sed quid agas? est quodam
prodire tenus. Posses hic certe et tibi et tuae familiae pie inculpateque vivere
et frui tuis studijs, et partim consilijs et doctrina, partim moribus et bono ex-
emplo nostris conatibus multum opis afferre. Vale. Ego satis laxe habito, do-
nec conducat amicus domum haerere sat commode apud me possit. Iterum vale. Sa-
lutabo quos iusseras. Valde doleo commentarios me nullos in Fines Ciceronis
nactum esse. Eosdem mihi post Socer Coloniae frustra quaesivit. Si quis isthic
inveniat abs te rogatus, mittat Gerardo Mulleo, facile transmittentur
si quos habes ipse, magnum beneficium conferes, si ad tempus utendos concedas.
Nam quia multis impedior alienis studijs, soleo temporis angustias sarcire.

[Duisburgi, ipsis Nonis Maij 1561]

Nr. 95]

Pax Christi

Hieronymo Commelino.

Venerande frater seculum mihi videtur elapsum, quod neque dedi isthuc literas,
neque isthinc accepi. Elanguesceret profecto noster amor, et paulatim longo silen-
[= Mscr. A. 12: tio amicitia dissolveretur, nisi firmioribus vinculis quam familiares societates astric-
ta esset. Neque possumus huic incommodo illa ratione mederi, tum quia disiunctis-
Nr. 15] simi sumus, tum quia suis quisque rebus impediti vix ad necessaria facienda satis
otij habemus. Quamobrem si quando aliquid temporis extorqueo, et nuncium
nactus sum cui credam, non quales expectes, sed quales meae res ferunt literulas
scribo, quibus ea ex me cognoscas, quae scire te arbitror tua interesse. Primum de
mea meorumque valetudine, de statu Ecclesiae, de successu scholae nostrae. Quod ad

Vale:

valetudinem attinet hoc vere nono incommoditas quaedam accidit, volente Domino
non tam periculosa pueris, quam nobis molesta. Quidam Johannes Rutgers Merca-
tor vobis fortasse non ignotus nuper Francoforto reduxit uxoris suae filiolum (is
illic vixerat apud D. Franciscum ......) vix apud me fuerat puer diebus
octo cum de capitis et dorsi dolore queri coepit, suspicati id quod erat, conclusimus eum
procul ab omnibus domesticis, prohibentes ne quis praeter unam ancillam accede-
ret. post triduum eruperunt ei e corpore papulae sive pustulae, quos morbillos appellare
solemus, morbus est familiaris pueris, et ad corporum purgationem perutilis, sed
curatio est odiosa propter foeditatem, et ~~quia~~ quia solet hoc malum serpere ab alys
ad alios omni studio cavere contendi, ne quis aliorum puerorum inficeretur, sed ni-
hil profeci. paucis enim diebus hunc secutus vester Oliverius, mox Jacobus, dein-
de Brassius, et item aly vobis ignoti, nam pauci hoc malum effugere solent qui mo-
do ad aetatem aliquam venerint. Semel tantum locutus sum cum Medico de hu-
ius morbi curatione. non enim egemus Medicina nisi diaeta et diligentia. Oli-
verio, Jacobo et Brassio iam eruperunt copiosissime tamen Oliverio, ut ia
nullum periculum sit, incipiunt enim siccari ut sperem post dies 4 aut 6
eos levatum iri. nos certe earum rerum quibus opus est non patiemur quicquam eis dees-
se, proinde facite ut securi sitis. De statu Ecclesiae et Scholae nihil habeo prae-
ter id quod antehac saepe conquestus sum. obsistere successui eos imprimis, quorum
omnibus machinis debebat utraque res promoveri. Nicolaus ille noster Lutetiam
cum uxore commigravit, eiectus (ut fecit dicitur) quod in Papistico baptisterio suam
prolem initiare noluisset. Jacobus Carmerius Coloniam hinc se transtulit.
Blasius Le ... Italiam. paucis cordi est aedificatio Ecclesiae, et nos in
aedificando saepe labimur inscitia rerum agendarum. Doct. Eustachius Quer-
cetanus cum aliquot fratribus Francofordianis reprehenderunt quod Baptismi
causa turbatum sit a nobis. standum receptis putat donec meliora consequamur.
probat id magis rationibus honestis quam scripturae testimonijs. tamen eorum iudicio
me libenter subijcio, neque sane quicquam turbae dedimus, tantum meus affinis quum
conscientia quieta in hac re esse non posset. tranquille sicut iussus erat solum ver-
tit. idem ego facturus sum potius quam aut turbem de integro aut praeiudicio gra-
vem meum affinem, quomodo enim in re mea id faciam, quod ne ille faceret in
sua, ego autor fui. Expecto ut tuam sententiam ad me vel breviter scribas
si forte aliqua necessitas in eundem scrupulum me illidat, ut quid expediat
praescire possim. Salutem precor tuae chariss. uxori. Antonio et reliquis
amicis. 26 May. 1563.

D. Petro Dale. ministro Emdae. Pax Christi. Nr. 96)

Dilecte frater in Domino. Non dubium est, quin tibi in ista aetate
longum videatur, ab uxore vitae mortisque socia et a liberis ipsa vita cario-
ribus tam diu distractum esse. Sane quoties de te cogito, quanto magis ...
mihi

[= Mscr. A. 12 : Nr. 16]